# DISSERTATIO MEDICA

*INAUGURALIS*

DE

# TYPHO.

(8.)

# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS
DE
# TYPHO:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

*RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BERNARDUS COYNE,

*HIBERNUS.*

---

Edidi quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt. CICERO.

---

*Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.*

---

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIV.

PATRI SUO CARISSIMO

BERNARDO COYNE, M. D.

ET

NOSOCOMII SLIGOENSIS

MEDICO SENIORI,

*&c. &c. &c.*

CUJUS SUB AUSPICIIS

REI MEDICAE PRINCIPIA DIDICIT,

HOCCE OPUSCULUM

EXIGUUM SED SINCERUM PIGNUS,

ANIMI GRATI

SACRERE VOLUIT

FILIUS

AUCTOR.

AMICO SUO OPTIMO

GULIELMO BELL,

*ARMIGERO,*

COLLEGII REGII CHIRURGORUM IN

HIBERNIA LICENTIATO,

ET

NOSOCOMII COMITATUS SLIGOENSIS

CHIRURGO,

*&c. &c. &c.*

CUJUS SUB AUSPICIIS

ARTEM MACHAONIAM DIDICIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

DAT DICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

— Woodward Esquire Sen.
with compliments
from the

# DISSERTATIO MEDICA

## *INAUGURALIS*

DE

# TYPHO.

BERNARDO COYNE AUCTORE.

QUONIAM ambientibus summos medicinae honores, aliquid de arte Apollinari disserere opus sit, mihi visum est, pauca dicere de Typho Graviori, quippe quod valetudinis adversae genus mihi notissimum est, et praecipue, quia idem a patre meo in valetudinario Sligoensi feliciter curatum vidi. Ejus morbi historia, et progressu notatis, quoad rationem medendi, pauca de remediis et eorum modo operandi quae in quibusdam stadiis utilia esse inveni disputabo. Fretus igitur doctorum benignitate opus aggredior.

Multi scriptores varia disseruere de Typho, utpote morbo, quo vix alius, (peste excepta) humano generi exitiosior fuit, multae quoque theoriae datae fuere ad ejus naturam et causam continentem exponendas, sed hisce temporibus causam excitantem praecipuam, contagionem esse satis inter medicos convenit. ARMSTRONGIUS, qui tanta luce hunc morbum illustravit, satis edocuit Typhum CULLENIANUM per se nunquam grassari; et esse solummodo partem febris continuae, nimirum, omnem febrem continuam, incitati generis nervosi notas plus minusve ostendere, priusquam vires revera dilabi coeperint: ideoque genus CULLENIANUM *Synochum*, esse eam febrem continuam quam *Typhum* nominare solemus. Hic igitur auctor, aliique hodierni, ea voce "Typhus" utuntur, ad eam continuam febrem designandam, quam CULLENUS *Synochum* nominavit, quaeque febris unica apud Britannos et Hibernos grassatur. Hanc vero triplicis proponit esse generis, nempe *simplicem*; id est, citra notas ullius viscerum inflamma-

tione vel actione abnormi laborantis: *Inflammatoriam,* cui scilicet aliqua partium interiorum inflammatione acuta, vel sub-acuta vexatur: denique *congestivam,* cui scilicet vires maxime dilabuntur et exinde venae omnes congestione insolita implicantur. De Typho *simplici* praesertim scribere in animo est. Typhus ab eodem auctore in stadia tria dividitur, (quae omnia invicem distingui possunt signis propriis,) primum oppressionis, secundum concitationis, et tertium collapsionis.

*SYMPTOMATA.*

PRIMUM faciei pallore, animi dejectione, lassitudine, oculorum hebetudine, et interdum inflammatione, et insigni resolutione virium, dignosci potest; caloris et horroris alternantibus paroxysmis, fastidio cibi, nausea, vomitu, lingua albida, et circum prae-

cordia anxietate, respiratione difficili, vertigine, capitis, dorsi, et lumborum dolore, pulsu arteriarum duro, parvo, et abnormi, haec signa sunt stadii hujusce, quod duos vel tres dies fere permanet.

Tandem accedit concitationis stadium, atque in eo febris perquam acuta, bene signatur, circuitu sanguinis, et respiratione multum citatis, pulsu arteriarum saepe ad centum et triginta vel quinquaginta accedente, vultus erubescit et turget, oculi hebetiores fiunt, corpus ultra naturam calet, cutis et labia arescunt, magna sitis urget, lingua albida et sordida est, sub noctem febris ingravescit, exacerbationes vespertinae, et delirium superveniunt, alvus tardior est, et secernenda omnia supprimuntur, denique ubi signa omnia incitationis sex vel septem dies permanserint, gradatim mitescere incipiunt et advenit stadium collapsionis.

In hoc stadio maxima debilitas adest, viribus enim quasi incitatione praegressa ex-

naustis omnia summam resolutionem indicant, pulsus debilis fit, parvus, frequens, et facile digito imposito compressus, cutis mollior, et humidior, calor minor est, et inaequalis, interdum spasmata superveniunt, scilicet subsultus tendinum, singultus; muscae aegro oculos circumvolare videntur; unde fimbrias stragulorum diducit; accedunt quoque maculae, petechiae, et signa omnia pessimi generis. Haec pleraque sunt signa, quae in Typho accidunt, et fere ordine proprio, aliquando mitiora et aliquando graviora. Hanc febrem diutius permanere in gelidis et humidis regionibus quam in septentrionalibus notatu dignum est, in illis scilicet saepe dies quadraginta, in his octo vel decem dies perseverare, his regionibus vero plerumque intra diem vigesimum finitur, et saepe aliquanto citius.

### *DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS ET EXCITANTIBUS.*

Causa praecipua ut supradixi contagio esse videtur, sed aliae sunt causae excitantes, quales sunt victus pravus et putridus, diaeta tenuis, halitus pestiferus ex animalibus et plantis mortuis evolutus, animi affectiones, aër humidus, loca situ humilia, cultus veneris major equo, coeli mutationes, tuguria pauperum perflatûs egena, sordes omnigena, lassitudo magno labore inducta. Grandaevi et infantes, utriusque sexus minus ei obnoxii. Exempla sunt infantum ex ubere matris moribundae sugentium accepta nulla injuria; cui causae hoc tribui potest? Anne e torpore nervorum priorum et absentia curarum posteriorum pendet?

## *DE DIAGNOSI.*

Typhus gravior a Typho mitiori omnibus signis gravioribus dignoscitur; mitioris impetus lentior est, horrores leviores sunt, cutis pallidior, sitis nulla urget, calor minor, lingua humida est, postea vero sicca crustâque alba obtecta denique rubra et aliqua parte fissa, vultus pallidus pulsus parvus et debilis. Quod ad synocham, quum satis constat, febrem hoc nomine designatam non existere, quomodo Typhus ab ea discernatur, alienum praedicare existimo.

## *DE PROGNOSI.*

Cutis sudore leni humida, lingua madida et nitida, salivae cursus liberior, dejectiones liquidae et colore naturali, glandularum, praesertim parotidum axillarumve suppuratio, absentia caloris, urina multa et crassa ex

qua rufum decidit, arteriarum pulsus fortior et tardior, cutis circa labia efflorescens, surditas, petechiarum color nitidus pro felicibus signis habenda sunt. Contra, debilitas musculorum perinsignis, respiratio laboriosa, citra pulmonis morbum evidentem, deglutitio difficilis, oculorum hebetudo, muscae volitantes, petechiae lividae, vel nigrae et plurimae vel eaedem subito abeuntes, aphthae, arteriarum pulsus debilissimus, dejectiones atrae, et abdomine simul tenso liquidae eaeque et urina animi injussu redditae, aeger supinus cubans, porrectis artubus, sudoris foetor cadaverosus, cursus sanguinis e membranis mucosis, faucium inflammatio cum sanguinis salivâ misti rejectione, subsultus tendinum, stupor altus, delirium, singultus pessimi sunt ominis notae. Etsi haec de prognosi dixi, confiteor tamen, nil pro comperto haberi posse, vidi enim aegros pessimis signis implicatos quibus maxima debilitas, et caeterae notae humorum ad putridinem vergentium affuerint, demum revalescere;

ars parum fortasse, natura multum in his efficere potest.

## *DE RATIONE MEDENDI.*

In hujusce morbi curatione, remedia varia et multa commendata fuere, interne et externe: ex illis nempe quae vomitum movent, alvum purgant, quae sudorem eliciunt et multa alia: ex his vero, exulcerantia, rubefacientia, affusio frigida et tepida, detractio sanguinis venâ brachii incisâ, aut vasis partis alicujus incitatae depletis.

Ineunte morbo (si medicus tempestive advenerit) febris saepe sedari, signa saltem multum levari possunt remediis idoneis, sed aegri multi se tantum nauseâ, id est ventriculi actione turbata affici putantes, raro medici auxilium quaerunt, priusquam febris confirmata fuerit et signa lethalia accesserint. Febre jam incipiente servanda sunt quies et munditia summa; et aër cubiculi purissi-

mus esse debet sed non perquam frigidus aër, alvus medicamentis expurganda est, et liquoribus infusis ducenda ; interdum quoque vomitus ciendus, et quoties ob irritationem ventriculi, pleraque remedia vomitu rejiciuntur, tunc enema alvo expurgandae accommodatum praecipue utile est. Stercus enim febricitantibus indurescit et congeritur, unde ARMSTRONGIUS edocuit, omnia febris indicia maxime increscere et vires multum labefactari; idem auctor celeberrimus ait, alvi ductionem atque purgationem ventriculi irritationem quam maxime sedare, et debilitati futurae occurrere, medici priores propter aegri debilitatem remedia haec satis copiose dare noluerunt, sed JACOBUS HAMILTONUS in ejus praeclaro opere, " de medicamentis alvi purgantibus," dicit aegros surgere non posse priusquam alvus dejiciatur, alvo autem dejecto, sine auxilio alieno eos ad cubitum ambulare posse contendit, per totum decursum hujus morbi, alvi purgantia, (optima quarum, submurias hydrargyri, extractum cucumeris colocynthidis

compositum, radix convolvuli jalappae,) utenda sunt, ad intestinum stercore putri exonerandum. Medici quidam vinum dilutum dari jubent propter aegri debilitatem, quod periculosum est, exasperando signa secutura. In stadio oppressionis, id est, initio, vacuefacientibus, potius quam stimulantibus fidendum est, debilitas scilicet eo tempore non est vera, at solummodo apparens: ideoque vinum, eo stadio durante adhibitum, nil boni, quantum comperire potui, sed multum mali efficere potest.

Stadium inflammatorium sive incitationis dein accedit, Vinum tunc datum signa omnia intendit, de contrario effectu evacuantium aliquid dicere supervacuum est. Tartras antimonii perutile est et praecipue cùm sudorem promovet. Doctor Curreius se morbum primo aggressu aquâ frigida affusâ decurtasse memorat. Armstrongius bonos effectus ejus in oppressionis stadio negat et balneum tepidum commendat, quinetiam dicit oportere aërem cubiculi nunquam infra

gradum LVI*tum* teneri, namque debilitate magna praesente superficies corporis non impune frigori objici potest. In hoc et concitationis stadio quicquid vires sustinere possit sufficit.

In concitationis stadio ubi calor cutis solitum modum excedat, cute inarescente, affusio aquae frigidae feliciter administrari potest, et praecipue, exacerbatione vespertina urgente: ratio optima admovendi erit per cribrum e viminibus textum (quod semper et ubique in promptu erit) in aegri caput aquam effundere. Hunc modum ARMSTRONGIUS intra quartam diem concitationis stadii coercit, et si affusione aquae frigidae postea opus sit, balneum vel affusionem tepidam adhiberi jubet: si affusio ministratur, admoveri oportet quater in die, optima est aqua marina, utraque affusio repetenda est donec cutis satis frigiscat. Hoc facto potus dilutiores adhibendi sunt. In hoc stadio, alvi purgantia praecipue utenda sunt, ita ut aeger quater indies dejiciat; sudor quoque

eliciendus est, et praecipue antimonii praeparationes hunc in finem administrandae sunt, de eorum effectu JACOBUS HAMILTONUS in ejus opere alibi citato observat operationem felicissimam esse quoties alvum solvunt. Purgantia duobus modis juvant. 1mo, Intestinis amovendo stercora putrida; 2do, Secretionem jecoris excitando, et dejectiones naturales inducendo.

Cavendum est ne congestio vasorum capitis fiat: si urgeat dolor capitis, pulsatione perinsigni carotidum et temporalium arteriarum comitatus, caput ad cutem tondendum est, liquores refrigerantes et emplastrum lyttae applicanda sunt; optimam rationem inveni, abrasis capillis lotionem capite et vesicatorium ab occipite deorsum inter scapulas applicare. Hirudines temporibus admovendae sunt. In hoc stadio aërem cubiculi moderate gelidum esse et stragula atque toralia saepe mutari oportet.

De sanguinis missione aliquid dicere opor-

tebit, alii medici febricitantibus omnibus, hoc remedium adhibent, alii vero non omnino, ea opus esse contendunt. Fortasse in typho simplici, raro venas vacuefacere opus est. Ubi febri accedit inflammatio hepatis, intestinorum, etc. tunc certe sanguis mittendus. Ubi jecoris inflammatio incidit hirudines abdomini optime imponuntur, nam saepe quando jecur inflammationis sedes est, sanguis ad intestina per arterias impellitur, et plerumque reditus ejus exinde ad cor impeditur; ubi hoc, scilicet, sanguinis reditus tardior accidit pessima mala, nempe, effusio, haematemesis, intestinorum gangraena metuenda sunt. Dr. ARMSTRONGIUS utile esse sanguinem detrahere dicit stadio oppressionis, hac ratione, scilicet, exinde signa omnia, stadii proximi, id est, incitationis, quam plurimum mitigari. THOMPSONUS idem remedium prodesse affirmat, usque ad diem octavum vel nonum. Noster celeberrimus praelector de medicina practica HOMIUS contendit, medici esse, de hac re in singulis exemplis judi-

care, signis ipsis aegri, aetate, corporis habitu, maximeque arteriarum pulsu perspectis, sanguinem scilicet mittendum esse, vel non, prout haecce postulent. Si igitur pulsus celer et fortior sit, sanguis insigni fructu mittendus est. Quod ad alia indicia persaepe fallunt, et semper alvi purgatione levari possunt. Ubi sanguis ad cerebrum impetu majore fertur et delirium adest, sanguis eliciendus est, arteriâ temporali incisa, et hirudinibus impositis; etiam cucurbitula cum ferro interdum admovenda est. Necne venae amplius vacuefieri debeant, indicabunt signa, sanguinis missi species et alia ejusmodi. Pleraque signorum stadii secundi e congestione foecum accidunt, et ergo, alvo libere expurgata haec signa multum levari possunt citra sanguinis missionem.

Quod ad haec duo stadia, jam dixi de omnibus remediis quae enumeravi tonicis et rubefacientibus exceptis, de his in hoc stadio, quando in illo praecipue adminis-

tranda sunt, dicam; narcotica etiam tunc utenda sunt.

In collapsionis stadio, medicina parum auxilii pollicetur, nimirum, nihil medicum penes est, nisi vires sustinere: alvi purgantia acriora nocebunt in hoc stadio, laxantia mitia ad solitas dejectiones obtinendas sufficient, enemata saepe multum juvant, si sudor erumpat lenis in hoc stadio, faustum signum est et potu acidulo dilutiori, et tepido promovendus est. Si haemorrhagiae et petechiae adsint, cardiaca et antiseptica administranda sunt copiose, praecipue acida mineralia et plantarum acida, vinum, cinchona, acidum carbonicum et spuma cerevisiae, hujus usum medici multi laudarunt, Doctor THOMAS dicit eandem ventriculum roborare, et inde per consensum, corpus universum, pulsum fortiorem et lentiorem reddere, halitum cutis evocare, et ardorem minuere. Ubi debilitas permagna adest et petechiae nigrae eruperint, cavere oportebit ne pedes frigescant quod si accidat, cito câlefieri debent vasis vi-

treis aquâ calida completis, admotis, vel panno laneo calefacto imposito, ubi haec signa, quae nunc enumeravi adsunt, scilicet petechiae, artuum frigus, ubi quoque aeger cubat supinus artubus porrectis fortasse haud aliud remedium vino antecedit, opium, et alia stimulantia diffusibilia adhibita fuere, et bono effectu. In valetudinario Sligoensi vidi aegros plurimos, ubi vix ulla spes fuit, vino copiosius adhibito, reviviscere et postremo, integrâ valetudine perfrui. Mihi accidit aegram a patre meo curatam, cui musculi glutei et gastrocnemii in statu gangraenae fuere, vino saepe et copiose usque ad uncias triginta in die adhibito, per usum ejus solum revalescere, de hoc Typhì exemplo, utpote pessimo, et infaustissimo quod adhuc novi, mentionem facere, operae pretium duxi. Moschum adhiberi vidi et semper inutiliter. Faustus exitus camphoram ministratam saepe sequitur. Medicus in hoc oppido, Typho graviori laborans, cum jam morbus ultimum ad stadium pervenerit, se ad sanitatem rediisse, misturâ

camphoratâ ingesta postquam vinum et alcohol concessa, nihil valuerant. Opium feliciter dari potest, parvis et sepe repetitis dosibus, pulsum tollit; sed haec omnia vino conjuncto multo utiliora fiunt. Æther sulphuricus misturae camphoratae additus, utilis est. Faustâ crisi morbi superveniente aeger (quasi in somnis) saepe se ab obscuro loco vel carcere, lectum ad jucundum vehi, in hoc casu stupor et delirium adsunt et camphora opio anteferenda est. Hic quasi somnus huic medico supra citato adfuit, et jam morbus quintum decimum ad diem processisset, cum Gregorius celeberrimus misturam camphoratam, veluti ultimum et unicum remedium adhiberi jussit, illico pulsus sentiri poterat, et tempore ab illo, signa felicia supervenere et gradatim natura morbum vicit.

In hoc opusculo de signis, causis, diagnosi, et prognosi, nimis parce fortasse disserui, sed hujusce dissertationis limites me eadem sermone longiori prosequi non sinebant, in

ratione curandi tamen pleraque signa enumeravi, et demonstrare conatus sum quomodo optime levari possint.

### *DE PROPHYLAXI.*

In hoc capite de causis evitandis dicendum est; et quae contagionem arcent vel diruunt prophylactica dicuntur, modo aegrum curandi in ultimo capite notato, nunc qua ratione ministri circa aegri cubiculum contagionem evitare possint inquirendum. Inter disserendum de ratione medendi munditiem summam observandam esse, nam si sordes accumulatur, male aegro tum ministris erit, aura per totam domum ubi inest aeger pleno rivo transmitti atque stragula et toralia saepe mutari oportet, de hoc constat, nam aegri pauperes plurimi e tuguriis ad valetudinarium relati celeriter convalescunt, quatenus mihi observare accidit sem-

per inveni quadruplo plures pauperum in tuguriis quam in valetudinario febricitantium emori. Multa exempla referre potui ad hoc argumentum sustinendum, et pauperes in tuguriis sordidis, et oppidis habitantes, ubi structurae conferte aedificatae sunt magis contagioni obnoxios esse demonstrandum. Hic exemplum unum dare sufficit. Jacobus Homius medicus valetudinarii Anglice "*Queensbury-house*" dicti, in praelectionibus dicit, mille circiter aegros ei valetudinario inesse et de eo numero quinquaginta et sex ab oppido *Leith*, viginti et unum ab agris circumjacentibus, viginti et septem ab ea parte hujusce civitatis, "*New Town*" dicti reliquos vero, numero octingentos septuaginta et quatuor ab oppido antiquo Anglice "*Old Town*" dicto admissos esse. Quinetiam idem vir praeclarus morbi causam duobus trientibus aegrotantium contagionem esse dicit, et eos in palustribus agris habitantes magis ei opportunos esse.

De caeteris causis, quas enumeravi con-

stat eas quiete, catharticis, diaetâ generosa, &c. amoveri; prophylaxis pauperibus optima quae semper et ubique in promptu erit, est calx parietibus domûs, intus et extrinsecus applicata, aquâ mista ut Anglice dicitur "*white-washing*." Plurimi generosi homines agris, opibusque divites in Hibernia hunc modum contagionem obstandi feliciter secuti sunt: plurima alia praesidia contra contagionem laudantur, veluti camphora, aromatica omnia, acidum aceticum forte vel aromaticum, acidum muriaticum et nitricum, aromatica autem inutilia esse creduntur; quippe quae non facultate contagionis delendae praedita sunt, imo vero nocent, eo quod vetant, quo minus olfactûs ministerio cognoscantur, necne conclave, in quo aegri habitent perflatum acceperit idoneum.

Hodiernorum plurimi praecipui quorum GUYTON MORVEAU et CARMICHAEL SMITH contra contagionem praesidia invenere et edidere. Illi equidem senatus Britannicus donum amplissimum meritum la-

boris dedit. Ille medicus acidum nitricum vel vaporem ejus commendat qui obtineri potest ope caloris, nitrate potassae in acidum sulphuricum injecto. Primum tentamen inter Hispaniensis captivos fecit in Castello Vincestrensi inclusos ubi contagio erupit. Johnstonus, &c. primum omnium esse dixit, qui hoc invenit, sed alter certe primus inter medicos notavit et usum ejus confirmavit in nave bellica "*Revenge*" dicta ubi plurimi aegri Typho laborantes inclusi fuere. Jubet vasa misturâ supradicta intervallis repleta viginti vel triginta pedum in valetudinariis collocari. Gas acidum muriaticum, et porro chlorinum bono effectu contra contagionem administrari possunt, illud obtineri potest, acidum sulphuricum cum muriate sodae miscendo, unde evolvuntur vapores acidi muriatici ; hoc vero, addendo oxydum manganesii nigrum misturae jam dictae, acido sulphurico paulatim diluto, in hoc casu gas chlorinum emittitur ; at nequaquam impune pulmonem subit scilicet hoc non utendum nisi

ad conclavia vacua expurganda. Hoc acido Guyton Morveau contagionem destruxit in templo diutissime deserto, et hoc modo, initio hujus gasis materias genetrices intra templum posuit, et totam internam partem ejus gase compleri sivit, ostiis clausis, quo facto ostia patefacta sunt et aër atmosphaericus pleno rivo transmissus est, sic contagionem destruxit et templum propriis usibus aptavit.

Quoties Typhus in carceribus, valetudinariis, navibus, vel aliis locis ubi multi simul habitant grassatur, recurrendum est ad fumos acidos jam dictos, praesertim, vaporem acidi acetici fortioris atque muriatici, perflatus liberrimus porro conciliandus est, fenestris patentibus; et interdum accenso igne; nimirum si conclave sit spatiosum, et Typhus hyeme grassatur.

FINIS.